

Johannes Assuerus Ampzing

## **Programma In Obitum ... Viri, D. Caspari Spalckhaveri Icti eximii**

Rostochii: Pedanus, 1621

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774687010>

Druck Freier  Zugang



Assverus, J.,  
in  
C. Spalckhaver.  
Rostock. 1621.

20







59  
Programma  
IN OBITU M  
*Clarissimi Consultissimi & Doctissimi  
Viri,*

D. CASPARI  
SPALCKHAVERI

Jcti eximij



ROSTOCHII  
Typis exscriptit Joachimus Pedanus,  
Academiae Typographus.

ANNO M. DC. XXI.

RECTOR  
ACADEMIE ROSTOCHIENSIS  
JOANNES ASSVERUS  
Ampfingius Transilulanus, Med. D. & Prof.

**D**octi Aristotelici, quo ille & mortem esse terribilem asseruit & assertionem hanc suam, tali medio, quod mors omnium rerum extremum sit, probare voluit, vanitatem nuper in primâ Intimatione nostra ostendimus. Etsi enim Mors terribilis est, quatenus nos privat bonis hujus sæculi: quatenus tamen nos à malis hujus sæculi liberat, ipsaq; extremum finem imponit, & ad gaudia futuri sæculi viam sternit, non terribilis non acerba est, sed amabilis & dulcis homini Christiano. Atq; hoc quidem primæ Intimationis nostræ argumentum fuit.

Nunc agè & alteram terribilitatis mortis rationem Aristotelicam examinemus. Mors est terribilis, inquit, quia facit ut mortui videantur nullo amplius in malo aut bono esse. Unde jam talem si placeat, alterum extruamus syllogismum Aristotelicum.

Quicquid facit ut homo videatur nullo amplius in malo aut bono esse: id est terribile & acerbum.  
Atqui

Atqui Mors facit ut homo videatur nullo amplius  
in malo aut bono esse. Ergo Mors est terribilis &  
acerba, inò nihil est Morte terribilius, nihil acerbius.

An tu Lector Christiane, quisquis es, non vides  
& rides insulsiatatem hujus argumenti? in quo ni-  
hil est sani neq; in Majore neq; Minore?

Agedum Minorem de gradu deiciamus? Et  
primo quidem loco ponimus quod ex Joanne didici-  
mus. Beati mortui qui in Domino moriuntur:  
quoniam requiescunt à laboribus suis Apocal. 14.  
His addo siue historiam dicas siue parabolam, quæ  
tamen vera sit & rem veram demonstret, Divitis  
Epulonis & Lazari: & illud Christi ad Latronem,  
Hodie eris mecum in paradysso, cum alijs multis quæ  
non jam hic prolixè commemorandi locus est, &  
Media colligens sic argumentor, qui beati sunt,  
qui requiescunt à laboribus suis, qui ab angelis Dei  
portantur in sinum Abraha, qui cum Christo sunt  
in paradysso: illi certè in bono sunt. Contra, qui cum  
impio Epulone torquentur apud Inferos; illi utiq;  
in malo sunt. Quomodo igitur dicit Aristoteles  
Mortuos amplius neq; in bono esse neq; in malo?  
Sed neq; illud quod Major habet satis perspicio,  
Quomodo enim mors possit dici terribilis, propterea  
quod mortui neq; in bono amplius sint neq; in malo.  
Contrarium potius inde statuendum videretur, Si  
mortui non sunt in ullo amplius malo: mortem, neq;



terribilem esse. *Qua Epicureorum Conclusio fuit*  
*Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.* Con-  
cludo tum sententiam tum ratiocinationem Philo-  
sophi vanam esse, & Mortem utiq; terribilem &  
acerbam esse suapte naturā quatenus est stipendium  
peccati & Janua per quā impij transeunt ad summū  
malum, quod est apud Inferos. Ex accidenti verò  
Mortem esse non terribilem, sed consolationis ple-  
nissimam: quatenus Christus de eā de victā trophæā  
statuit in arā Crucis, sublato peccato & legis maledi-  
ctione, & quatenus fideles per montē ceu per januā  
egrediuntur è squalido, malo, imò pessimo miseriarū  
ergastulo & simul in atrium ingrediuntur aeternae  
beatitudinis, ac proinde nullo jam amplius in malo  
sunt, sed in summo bono.

O felicem ergo Defunctum nostrum! cui hodie  
justa solvimus, qui mundi hujus difficultates elu-  
catus, qui arumnis hujus ævi omnibus superatis,  
è tenebricoso afflictionum carcere in eam Hierosoly-  
mam transiit, quam gloria Dei illustrat, & cujus lucer-  
na est agnus. Ibi sedes est Dei & Agni, ubi servi ejus  
fervient ei: Et videbunt faciem ejus, & nomen ejus in  
frontibus ipsorum: Ibi nox non erit, & non egebunt lu-  
mine Lucernæ, neq; lumine solis, quoniam Dominus  
Deus illuminat eos, & regnabunt in secula seculorum.  
Apocal. 21. & 22.

Cum verò de more è locis personarum, quos vo-  
cant, & de hoc nostro Defuncto aliquid dicendum  
nobis

nobis videatur; etsi à parentibus, ab educatione,  
à cognatis & propinquis, ab affinitate, ab illustri  
doctrina & eruditione, à pietate in Deum & cha-  
ritate in proximum, & in summâ ab omni genere  
virtutum ipse per se est notus, ut commendationis  
hederâ nostrâ minimè opus habeat: tamen de con-  
suetudine receptâ horum quaedam etiam attinge-  
mus & levi brachio perstringemus.

Natus fuit annis antè 67. Rostochij, Patre qui-  
dem JOACHIMO SPALCKHAVER civè primario:  
Matre verò CATHARINA RATKEN Goltbergenfi,  
feminâ lectissimâ & splendore virtutum omnium,  
quæ sexum decent & ornant muliebrem nulli se-  
cundâ. Ab hisce Parentibus puerili atate privatim  
per præceptores domesticos, & præterea in scholâ tri-  
viali patriâ, publicè, in pietatis & Literarum Ru-  
dimentis, quantum istius atatis ratio ferebat, fuit  
institutus, idq; ad annum atatis plus minus duode-  
cimum. Quo quidem tempore visum Parentibus  
fuit, eum ad scholam Luneburgensem, quæ per id  
tempus claruit, firmioris fundamenti ponendi gra-  
tiâ amandare. Hæsit ibi annos tres, & progressus  
in Grammaticalibus fecit notabiles, quin & primi-  
tias reliquarum artium dicendi delibavit. Hinc  
tadere ipsum cepit pulveris trivialis; itaq; Vite-  
bergam, tanquam ad celeberrimum literarum Em-  
porium anhelavit, eodq;, dictum factum, excurrit,  
D 3 tanquam

tanquam ad uberiores literarum mercatum. Ubi  
equidem loci sic in literis, sic in moribus profecit, ut  
inter bonos optimus inter doctos doctissimus audiret.  
Non potuit ea res latere, tanquam lucerna sub modio  
posita, sed palam innotuit omnibus ac proinde &  
Comiti cuidam Suecia, qui hoc operam dedit sedu-  
lo, ut eum filijs suis praefectum in Sueciam a vocaret  
& eo pro domestico praefectore uteretur. Quod &  
factum. Trajecit itaque in Sueciam, ibique, nescio quo  
Fato, haesit annos totos quatuordecim, Quam tempo-  
ris jacturam superatam, tandem in Germaniam redijt,  
& laribus litans Academiae Patriae, summos in  
Jure honores adeptus est. Primos nuptiades thala-  
mos inivit cum D. Illirici, viri incomparabilis vi-  
duae, quod equidem conjugium ad annos duntaxat  
2. duravit. Quo soluto, viduus, veluti maestus  
turtur dulcissimam compare tanquam dimidiam sui  
parte orbatum, totos annos 9. induruit; nunquam  
tadas visurus secundarum nuptiarum, nisi divina  
factum fuisset providentia, ut inclyti olim Senato-  
ris GEORGII Gulen vidua in maritales ipsius  
amplexus incideret. Cum hac itaque femina, quae  
priorem conjugem virtute & morum honestate  
aequabat, ausus fuit ad intermissum vitae conjuga-  
lis consortium redire, quod nec ipsum male cessit:  
nam usus fuit eo conjugio tranquillo & pacato per  
annos integros sex, & tum illa etiam Coniunx mor-  
tua

tua fuit. Jam ulterioris conjugij, ob luctum duarum tam amabilium costarum pertasus, in viduitate suâ consensescere statuerat, inq̄ eâ annos iterum totos sex detriuerat, cum, ecce! Deus novas de integro illi perat nuptias cum honestissima Matrōna GERTRUDE TECHENTINS, viduâ D. HERMANNI WILLEMSSEN, fcti olim clarissimi, nec non Senatoris hujus urbis prudentissimi spectatissimiq̄. Quid faceret senex? jam vergentibus annis fracessebat in dies, parum prosperâ valetudine utenti, quæ cibum aliâq̄ necessaria administra- ret, quæq̄ vel nutantem retineret, vel cadentem erigeret, aderat nulla: Quare neq̄ hunc ultimum Senectutis suæ scipionem negligendum censuit, & forti animo tertium Matrimonij palestram fuit ingressus. O Matrimonium exoptatum! quippe quod priora duo multis felicitatum parasangis superaret. Etenim non modò pacatum & tranquillum fuit ut priora duo, verum insuper & fecundum: quippe quod utrumq̄ parentem exoptatissimâ prole beavit, filiolâ inquam dulcissimâ, quæ etiamnum superstes cum lugente matre, parentem desiderat. Hoc ultimum matrimonium in annum usq̄ quintum senex coluit. & tandem cum non multo antè tempore in Quartanam febrem incidisset, quæ Sibus mortis prænuncia esse solet, annum agens 67. dierum & molestiarum hujus vitæ saturatur

satur, nudiustertius, circa secundam matutinam,  
inter pios & officiosos mœstissima conjugis ample-  
xus, viatico prius ad iter cœlesti instructus corporis  
& sanguinis Dominici, animam suam Deo com-  
mendavit, & vale dicto huic seculo, in cœlestem  
patriam letabundus commigravit. Hujus clarissi-  
mi viri Exuviae cum hodierno die ad sepulcrum sint  
efferenda: aequum utiq; fuerit Cives Academici,  
ut tum Defuncti pijs manibus tum lugenti Viduae  
& filiola, nec non universa tum Cognationi tum  
Affinitati, id à nobis petentibus, hoc humanorum  
officiorum ultimum præstemus & funus hoc ad se-  
pulchrale Dormitorium comitemur. Rogatos itaq;  
& humaniter invitatos velim Reverendos cla-  
rissimos, doctissimosq; Dnn. Professores aliosq;  
Doctores, Verbi administratos & Magistratos, nec  
non studiosam Pubem universam, uti à Meridie  
ad Mediam primam in templo Jacobæo frequentes  
compareant, præsentia suâ hanc funeris deductio-  
nem ornaturi, suam ipsi mortem meditaturi, &  
deniq; pro incolumitate hujus utriusq; Reipub. ad  
Deum vota facturi. P. P. Rostochij sub sigillo  
Academiae ANNO M. DC. XXI.













tua fuit. Jam ulterioris conjugij,  
rum tam amabilium costarum per-  
tate suâ consensescere statuerat, in-  
rum totos sex detruerat, cum, ecc  
de integro illi perat nuptias cum hone-  
trona GERTRUDE TECHENTIN  
HERMANNI WILLEMSSEN, f. Cti  
nec non Senatoris hujus urbis prude-  
tissimiq;. Quid faceret senex? ja  
annis fracessebat in dies, parum pro-  
ne utenti, quæ cibum aliâq; necessa-  
ret, quæq; vel nutantem retineret,  
erigeret, aderat nulla. Quare neq;  
Senectutis suæ scipionem negligendū  
forti animo tertium Matrimonij pa-  
gressus. O Matrimonium exopt  
quod priora duo multis felicitatum  
peraret. Etenim non modò pacatur  
lum fuit ut priora duo, verum insu-  
dum: quippe quod utrumq; parentem  
prole beavit, filiola inquam dulcissim  
num superstes cum lugente matre,  
derat. Hoc ultimum matrimonium  
usq; quintum senex coluit. Et tana  
multo antè tempore in Quartana  
disset, quæ Sibus mortis prænunci-  
num agens 67. dierum Et molestian



the scale towards document

tua-  
dvi-  
ite-  
ovas  
Ma-  
D.  
imi,  
Et-  
ibus  
odi-  
tra-  
m  
um  
Et  
t in-  
ippe  
s su-  
vil-  
cum-  
imã  
am-  
lesi-  
m  
n  
nci-  
an-  
vita  
atur